QUAESTIONES LYCURGEAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE XIX. M. JULII A. MDCCCLXX.

HORA XII.


IN AUDITORIO MAXIMO

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

SAMUELIS ELIAS

BEROLINENSIS.



ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

H. ZACHER, STUD. PHIL.

H. WAGNER, STUD. PHIL. ET THEOL.

HALIS SAXONUM.

ARONI HORWITZ

RECTORI PRAECLARISSIMO

DE ME OPTIME MERITO

GUSTAVO WOLFF

PROFESSORI CELEBERRIMO

STUDIORUM MEORUM ADJUTORI

VICTORI KUEHNEMANN

CAND. MED. DIGNISSIMO

VETERI AMICITIA MECUM CONJUNCTO

HUNC LIBELLUM

DEDICAVIT

AUCTOR.

INDEX.

Ne dissertatio nimis longa evadat, solummodo caput I. et II. typis exscripta sunt.

I.

De Lycurgi genere dicendi.

Lycurgus, de cujus vi oratoria nostris temporibus varie judicatur, non solum a veteribus criticis dignus habitus est, qui in decem oratorum numerum reciperetur, sed etiam ab aequalibus in optimis oratoribus numeratus est. Cujus rei testis est Hyperides qui in oratione pro Euxenippo habita (ed. Blass. p. 36. XXVI, 18) dicit *οὐ Λυκοῦργον ἐκάλεις συγκατηγορήσοντα, οὔτε τῷ λέγειν οὐδενὸς τῶν ἐν τῇ πόλει καταδεέστερον ὄντα, παρὰ τούτοις τε μέτριον καὶ ἐπιεικῆ δοκοῦντα εἶναι.* Qua in re quamquam exaggerasse aliquantum Hyperides putandus est, quoniam, qui Demosthenem et Aeschinem aequales habuit, non potuit nullo inferior esse dicendo, tamen talibus laudibus eum efferre non potuisset, nisi omnibus non mediocris saltem orator esse visus esset. Accuratiora vero subtilioraque de Lycurgo Dionysii Halicarnassensis et Hermogenis judicia sunt, quae, quum hujus disputationis quasi fundamentum esse debeant, huc transscribere liceat. Dionys. Hal. ed. Reiske vol. V. p. 433: *Ὁ δὲ Λυκοῦργός ἐστι διαπαντὸς αὐξητικὸς καὶ διηρημένος καὶ σεμνός· καὶ ὅλος κατηγορικὸς καὶ φιλαλήθης καὶ παῤῥησιαστικός· οὐ μὴν ἀστεῖος οὐδὲ ἡδύς, ἀλλ' ἀναγκαῖος· τούτου χρὴ ζηλοῦν μάλιστα τὰς δεινώσεις.*

Hermogen. ed. Spengel *περὶ ἰδεῶν* p. 416: *Ὁ τοίνυν Λυκοῦργος πολιτικὸς μέν ἐστιν, εἴπερ τις ἕτερος, πλὴν ἴσως τοῦ κατὰ τὴν ἀφέλειαν ἤθους ἕνεκα· πολὺ δὲ τὸ τραχὺ καὶ σκληρὸν ἔχει χωρὶς ἐπιμελείας· ἢ γὰρ ἂν ὁ αὐτὸς ἦν πως τῷ Δεινάρχῳ· τῇ δὲ λέξει καὶ πολὺ τραχύτερός ἐστιν, ὅθεν φημὶ καὶ τοῦτον τὴν φαινομένην, οὐ μὲν οὖσαν ὡς ὄντως δεινότητα ἔχειν. Τροπικώτεροι γάρ εἰσιν οἱ λόγοι μᾶλλον αὐτοῦ, καὶ καταδρομὴν ἔχοντες ἐστὶν οὐ κατὰ τῶν ἀποδεδειγμένων πραγμάτων· χρῆται δὲ πολλαῖς πολλάκις καὶ ταῖς παρεκβάσεσιν ἐπὶ μύθους καὶ ἱστορίας καὶ ποιήματα φερόμενος· ἃ δὴ τῆς φαινομένης ἐστὶ καὶ αὐτὰ δεινότητος.*

His veterum, quibus plures orationes praeter hanc Leocrateam cognitae fuerunt, judiciis nobis nitendum esse, per se intelligitur, eorumque auctoritatem omnes, qui in hac re studia sua collocarunt, secuti sunt (cfr. Lyc. ed. Pinzger p. 28; ed. Jenicke p. XIV; ed. Nuesslin XXI; Nissen dissert. de Lyc. p. 56). Ac Dionysii quidem judicium totum probari potest, Hermogenis vero nisi cautissime magnaque cum diligentia examinatur, accipi nequit. Recte enim Nissen (p. 60), Nuesslinus (p. XXIII) ejus sententiam pravo suae aetatis sensu corruptam esse dicunt. Nam illius viri temporibus quum summa dicendi vis atque laus in oratione quam maxime eleganti diligentissimeque limata posita esse putaretur, propter acerbitatem illam atque nervos Lycurgi oratio aspera atque horrida ei visa est. Quod orationes *χωρὶς ἐπιμελείας* perfectas esse dicit, sane non tantam operam diligentiamque in verborum numero conclusioneque a Lycurgo positam esse quantam ab Isocrate perspi-

cuum est, sed tamen prorsus sine diligentia dixisse non potest, quem dies noctesque meditatum esse accepimus (cfr. Plut. vitt. X orat. ed. Westerm. p. 63 § 350). Neque minus ut veram dicendi vim in Lycurgo inesse negaret, eadem sui temporis perversitate videtur perductus esse. Nihil enim in ejus orationibus magis elucebat quam *τὸ δεινόν*. Nam vi sua maxime atque contentione, non dicendi elegantia et splendore aut argumentorum gravitate eorum, qui audiebant, animos permovit et ad suam voluntatem perduxit. Quae *δεινότης* maxime videtur causa fuisse, cur a veteribus non solum in decem oratorum numerum reciperetur, sed etiam aeque ac Demosthenes et Isaeus ad genus dicendi sublime pertinere diceretur (cfr. Meier op. acad. tom. I. p. 142). Dionysium igitur potius sequemur qui ejus *δεινώσεις* maxime imitatione dignas esse putat. Haec vero quamquam minus recte ab Hermogene judicata esse videmus, tamen cetera, quae dicit, probanda sunt et si Dionysii judicium adjungimus, satis accurata eloquentiae Lycurgeae imago efficitur et exprimitur. Statuendum igitur nobis erit hoc: Lycurgus totus est in accusando, in quo veritatem diligit et libere loquitur, est tamen amplificandi studiosus (*αὐξητικός*). Dicendi genere utitur sublimi, gravi, acri, translationibus crebro, sed neque elegans neque urbanus est, et ambages sectatur et digressiones ad res mythicas, historicas, poeticas amat et saepius ad ea, quae jam dixit, revertitur. Hoc est judicium, quod ex veterum auctoritate de Lycurgi genere universo dicendi faciendum sit.

Id si cum Leocratea conferimus, tam accurate etiam

huic orationi convenire videmus, ut facile ad sententiam perducamur, Lycurgum in omnibus suis orationibus aequabilem se praestitisse. In Leocratea enim, quae item accusandi causa habita est, non solum magna cum libertate et vi in rei ignaviam atque nequitiam invehitur, sed etiam judicibus ipsis libere et aperte crimini dat, quod iis, qui in judicium veniant *ἔξω τοῦ πράγματος* loquendi copiam dederint (§ 11 sq.). Etiam vera esse, quorum reum coarguit, procul a dubio abest, quum testimoniis omnia, quae de reo narrat, comprobet, et Aeschines (in Ctes. § 252 ed. Franke) item Leocratem Athenis Rhodum fugisse tradat. Atqui ut ipsi verum sequamur, silentio non praetereundum est, unam rem non quidem fictam, sed tamen aliter, ac re vera acciderat, ab eo sciente expositam esse. Quamquam enim Leocratem Rhodo Megara sponte se contulisse (§ 21) narrat, nihilo secius infra (§ 133), eum a Rhodiis ob nequitiam pulsum esse, contendit. Quae discrepantia nullo modo probanda excusari tamen fortasse paullulum possit et propter condicionem forensis apud Athenienses eloquentiae, cui eventus causa talia mendacia non ita magnae religioni erant, et propter graves, quibus affectus erat, animi perturbationes, ut iram, odium, quae, ut modum in accusando excederet, effecerunt. Scelerum vero et vim et magnitudinem valde amplificat et auget, quam ob rem jure eum Dionysius *αὐξητικόν* appellavit. Quod tamen Lycurgo non vitio vertendum est, nam in hoc veterum rhetorum, qui in accusatione amplificatione (*αὔξησις*) uti oratorem jubent, praecepta refert. Etiam illud, quod digressiones ad res

mythicas, historicas, poëticas amare dicitur, tam accurate et proprie in nostram orationem cadit, ut ex ea potissimum Hermogenes illam sententiam hausisse videatur. Etenim fere quinta totius orationis pars ex hisce digressionibus constat. Codri enim mortem narrat (§ 83—88), Aetnae eruptionem et filii, qui patrem servaturus humeris sustulit, laudem (§ 94—98), tum res ab Atheniensibus et Spartanis praeclare gestas exponit (§ 98—111), in quo poëtarum locos affert, ut Euripidis (§ 99) Homeri (§ 103) Tyrtaei (§ 107) aliorum (§ 92. 132). Tot tantaeque digressiones, quamvis iis locos quosdam poëtarum pulcherrimos debeamus, vitiosae tamen sunt, quia orationis concinnitatem infringunt. Id vitium remanet, etiamsi probabile est, quod Nissen p. 59, v. d. Ess p. 101 sq.[1]) dicunt, illos locos postea a librariis insertos esse. Nam si non iidem aut totidem poëtarum versus, at iisdem certe in locis, in quibus nunc versus extant, a Lycurgo quosdam versus recitatos esse statuendum erit. Etiam, quod Hermogenes reprehendit, nostra in Leocratea molestum est, eum tam saepe easdem sententias repetere. Quarum repetitionum duplex ratio est. Primum enim argumenta, quae affert, sententia saepe eadem, nonnunquam iisdem etiam verbis concludere solet, qua sententia fere semper reum capitis damnandum esse vel simile aliquid dicitur. Cfr. § 27: *τοῦτον ἔχοντες ἐν τῇ ὑμετέρᾳ ψήφῳ οὐκ ἀποκτενεῖτε;* § 45: *ὧν εἰκὸς ὑμᾶς ἀναμνησθέντας*

---

[1]) v. d. Ess, adnott. ad Lyc. or. in Leocr. dissertat. Lugd. Bat. 1854.

τὸν .... μηδ' ἐπ' ἐκφορὰν ἐλθεῖν ἀξιώσαντα .... θανάτῳ ζημιῶσαι. § 51: *ὥςπερ τοίνυν τοῖς εὐεργέταις μεγίστας τιμὰς ἀπονέμετε, οὕτω δίκαιον καὶ τοὺς τὴν πατρίδα καταισχύναντας καὶ προδιδόντας ταῖς ἐσχάταις τιμωρίαις κολάζειν.* § 74: *χρὴ τοίνυν, ὥςπερ τοὺς ἀγαθοὺς ἐπαινεῖτε καὶ τιμᾶτε, οὕτω καὶ τοὺς κακοὺς μισεῖν τε καὶ κολάζειν, ἄλλως τε καὶ Λεωκράτην.* § 67: *τὸν αὐτὸν τοίνυν τρόπον κολαστέον ἐστὶ τοῦτον.* Cfr. §§ 76 extr. 78. 82. 89. 97. 110. 121. 123. 131. Praeterea etiam nonnunquam eadem sententia saepe repetitur. Sic § 150 init. = § 149 extr. § 34—36 = 29—31. § 45 = 142.

Quod porro translationum eum cupidum Hermogenes appellat, aliis in orationibus plura translate dixisse putandus est, in Leocratea non nimis multa hujus rei exempla extant, quamquam in iis praesertim locis, ubi oratio paullo altiorem sonum poëticumque colorem assumit, nonnulla etiam audacter translata inveniuntur (cfr. Lyc. rel. ed. Baiter et Sauppe p. 144). Exempli causa ponatur quod § 61 legimus *πόλεως ἐστὶ θάνατος ἀνάστατον γενέσθαι.* § 50 *συνετάφη γὰρ τοῖς τούτων σώμασιν ἡ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἐλευθερία.* Cfr. § 40. 50 extr. 75. 143. 149. Etiam illud „*ἐν τοῖς ὁρίοις τοῦ βίου*“ § 109, qui locus a viris doctis varie agitatus est, cum Pinzgero, Maetznero, Nusslino, Sauppio (adn. ad § 109) translate dictum esse puto, ut significet „an der Grenmark ihres Lebens“, ut recte Sauppius l. l. vertit. Confitendum vero est, hanc translationem malam esse, nec tamen quicquam mutandum est. Eandem translationem etiam in carmine quodam germanico Koerneri, quod „Abschied vom Leben“ inscribitur invenimus, „Ich fühl's

an meines Herzens mattem Schlage, hier steh' ich an *den Marken meiner Tage*".

Leocratea denique neque venusta neque festiva est. Etenim quum Isocratis vel Demosthenis aliorumve orationibus aures verborum numero et conclusione oblectentur et suavissime permulceantur, Lycurgi oratio gravior quam dulcior, vehementior atque nervosior quam urbanior est.

Recte quidem, quomodo Lycurgi ratio dicendi oratoris naturam atque indolem, exprimat, Nissenius p. 59 animadvertit. Ut enim ipse in edendo bibendoque temperans erat, et, ne apud populum quidem si contionabatur, magnifico vestitu utebatur, sed animi virtutibus magis quam externarum rerum splendore nitere volebat, sic etiam oratio ejus, praeclarissimarum pulcherrimarumque sententiarum referta, infucatum nitorem, quo nimis saepe, quae penitus prava ac mala sunt, teguntur, respuit atque repudiat. Porro ut sacerdotali stirpe ortus ipse sacerdos fuit, mentemque habuit hoc munere dignam, gravem, sanctam, sic etiam ejus verbis, sacerdotium redolentibus, color quidam sublimis, gravis, grandis, solemnis obductus et quasi offusus est, qui tamen interdum etiam molestus atque tardus fit. Quae orationis altitudo maxime in exordio (§ 1—16), ubi deos precatus judicibus causae gravitatem exponit, et in epilogo (§ 141—150), ubi brevi repetitione instituta, judices ut reum condemnent hortatur, et in rebus historicis, mythicis, poëticis narrandis inest. Ut denique ipse summi in patriam amoris summaeque humanitatis vir acerrima etiam ira atque odio in malos perditosque

cives flagrabat, sic etiam ejus oratio perturbationum, quas ipse sentiebat, vim contentionemque refert, unde nervi isti et quasi aculei in dicendo existunt, quibus animos etiam nolentes iisdem, quibus ipse ardet, animi motibus accendit et ad reum damnandum perducit. Tale ejus *δεινότητος* exemplum Diod. Sic. (bibl. hist. 16, 88) nobis tradidit tam grave, ut haud scio an nihil ei anteponendum sit. Quare, ut ejus contentionis exemplum habeamus, Diodori locum huc transscribi liceat: „*ἐστρατήγεις, ὦ Λυσίκλεις, καὶ χιλίων μὲν πολιτῶν τετελευτηκότων, δισχιλίων δ'αἰχμαλώτων γεγονότων, τροπαίου δὲ κατὰ τῆς πόλεως ἑστηκότος, τῆς δ'Ἑλλάδος ἁπάσης δουλευούσης, καὶ τούτων ἁπάντων γεγενημένων, τολμᾷς ζῆν καὶ τὸ τοῦ ἡλίου φῶς ὁρᾶν καὶ εἰς τὴν ἀγορὰν ἐμβάλλειν, ὑπόμνημα γεγονὼς αἰσχύνης καὶ ὀνείδους τῇ πατρίδι*“; Hujusmodi loci graves etiamsi in Leocratea non exstant, tamen tota oratio magnam vim prae se fert, velut mirum in modum animos Athenarum post cladem Chaeronensem descriptio commovet (§ 39 sq.), quum non oratorem narrantem audire, sed quomodo res ante oculos nostros gerantur, videre nobis videamur. Acerrima quoque anteoccupatio est (§ 141—146), qua judices, quominus rei misericordia capiantur, ante prohibere conatur.

His igitur dicendi virtutibus, quamvis magnis vitiis obscurarentur, factum est, ut Lycurgus in optimorum oratorum numerum veniret. Accedit, quod ejus oratio semper bona existimatione apud Athenienses fruebatur, ita ut quamcumque rem Lycurgus susceperat, ea justa ac recta esse videretur. Haec et indolis et orationis

virtutum conjunctio causa fuit, cur, quum tot accusationes institueret, nunquam tamen in mille drachmarum multam incideret. Quare etiam Hyperides l. l. ejus vim oratoriam significaturus non solum dicit *τῷ λέγειν οὐδενὸς καταδεέστερον ὄντα τῶν ἐν τῇ πόλει,* sed etiam addit *παρὰ τούτοις τε μέτριον καὶ ἐπιεικῆ δοκοῦντα εἶναι.*

De universo quidem Lycurgi genere dicendi hactenus, de iis vero, quae ei singularia, propria, peculiaria sunt, quibus a ceteris aut omnibus aut certe plerisque oratoribus Atticis differt, nunc disputabimus. Primum vero, ut quae ad singula verba spectent explicemus, Lycurgi usus quidam vocabuli *εἰκότως* proprius est. Quod adverbium duplici ratione usurpatur. Nam aut ad enuntiati praedicatum referendum est, et vel fieri aliquid naturali et aequa ratione vel esse naturale et aequum significat, aut absolute post aliquam sententiam ponitur et tum dicentis de iis, quae proxime praecedunt, judicium exprimit. Eodem sensu apud Latinos „quippe“ usurpatum invenitur. Post *εἰκότως* vero hoc sensu adhibitum sequenti enuntiatione illud judicium comprobari solet, quare sequens enuntiatio plerumque particula *γάρ*, interdum etiam conjunctione *ἐπεί* adjungitur (cfr. Dem. in Lept. ed. Wolff. p. 310). Eodem quo *εἰκότως* modo etiam *δικαίως* nonnunquam absolute ponitur cfr. Lycurg. § 3. 93. 122. Dinarch. I, 76, *ὀρθῶς* Aeschin. or. in Cts. 27, *καλῶς* Demosthen. or. in Lept. § 118. Sed haec rariora, frequentiora *δικαίως* et *εἰκότως*. A nemine vero frequentius *εἰκότως* usurpatur quam a Lycurgo apud quem novies legitur. §. 47.

79. 88. 94. 102. 108. 126. 129. 133. Praeter eum etiam Isocrates eodem vocabulo saepissime utitur, apud quem omnino ea saepe reperiuntur, quae Lycurgi propria esse videbimus. Sunt vero scriptores, qui eo nunquam utuntur ut Andocides, Antiphon, Dinarchus, Hyperides.

Deinde huc pertinet, quod pro *πατρίς* Lycurgus aut *ἡ θρέψασα* aut *ἡ θρεψαμένη* dicit § 47. 85. Conjuncta sunt *πατρίς* et *θρέψασα* § 21 (*οὐδὲ τὰ ὅρια τῆς ἐκθρεψάσης αὐτὸν πατρίδος αἰσχυνόμενος*).

Tum pro solita „voce *γονέων κάκωσις*“ dicit „*τοκέων κάκωσις*, quod poeticum idemque solemnius et gravius est.

Etiam non praetereundum videtur esse, quod superlativus *μονώτατος*, qui alias perraro legitur, in hac una oratione bis reperitur § 88. 89., id quod majorem vim orationi affert. Omnino omnia, quae orationis vim augere possint, Lycurgus studiose adhibere solet. Sic saepe gravius pronomen *οὗτος* ponit, ubi simplex *αὐτός* sufficeret. § 87. 117. 126. 131 (cfr. v. d. Ess p. 77). Eodem modo § 3 *ταύτῃ*, quod quidem vv. dd. mutare voluerunt pro *αὐτῇ* ab oratore ipso positum esse existimo. Eandem ob causam, non negligentia, ut Maetznerus (p. 227) vult, factum esse puto, ut substantivum repeteretur, ubi *αὐτός* expectatur. § 87. 118 (cfr. Krueger Gramm. 51, 5 Anm. 2). Neque aliter judicandum est de pronomine *οὗτος*, quod Lycurgus saepe abundanter ponit, ut res satis distincte et accurate indicatas iterum audientium animis objiciat. § 46. 82. 93. 117. 127. 145 (cfr. Krueger Gramm. § 51, 5 Anm. 1). Qui pronominis *οὗτος* usus non cum alio ejusdem vocabuli usu quodam confundendus est, quem Loers ad. Plat. Menex. p. 89

describit „notent tirones eum usum pronominis *οὗτος*, quod sic post longiorem enumerationem quasi colligendi gratia et in unum quasi conspectum ea, quae enumerata sunt, contrahendi aut etiam post parentheses, ut notiones, quas lector parenthesi fere e conspectu amiserit, in memoriam ejus revocentur, usurpari solet“.

Deinde his singulis vocibus illustratis ad alias Lycurgi proprietates in dicendo transgredimur. Imprimis huc conjunctio quaedam substantivi et adjectivi referenda est, quae quamquam apud omnes scriptores saepe occurrit, tamen apud Lycurgum tam saepe legitur, ut optimo jure eam commemoratione dignam putemus. Quum enim vulgo adjectivum substantivo additum eodem, quem substantivum habet, casu ponatur, ita ut adjectivum ex substantivo pendeat, Lycurgus contra substantivi genitivum ex adjectivo pendentem facit. Sic dicit pro *τὰ κοινὰ ἀδικήματα* = *τὰ κοινὰ τῶν ἀδικημάτων* § 6. cfr. 102. 104. 108. 110. 111. 133 (cfr. Krueger Gramm. 47, 28. Maetzner p. 84). Quum vero ea ratio inter substantivum et adjectivum, si junguntur, intercedat, ut substantivum genus, adjectivum hujus generis speciem atque partem aliquam significet, illo usu efficitur, ut species graviter et acriter generi opponatur, ex eo efferatur, itaque majorem vim assumat.

Idem etiam praedicativo usu adjectivi ad obliquum substantivi casum adpositi efficitur (cfr. Lyc. ed. Blume p. 57. Krueger § 50, 11 sq.). Qua structura apud omnes oratores obvia tamen alii aliis frequentius utuntur. Sic eam in omnibus Andocidis orationibus quater invenimus I, 6. 88. II, 24. IV, 31, in Antiphontis ter II, *α*, 4.

III, γ, 6. VI, 21, in Hyperidis quater *ὑπὲρ Εὐξεν᾽* p. 42 XXXIX, 16. p. 43 XL, 16. *ἐπιταφ᾽* p. 52 V, 10. p. 65 XIV, 9 ed. Blass. in Dinarchi novies III, 6. 7. II, 15. I, 7. 37. 60. 67. 70. 86. Saepe porro in Demosthenis extat, omnium vero saepissime in Isocratis, quem secutus hanc structuram etiam Lycurgus valde frequentat. Cfr. § 1. 7. 8. 12. 13. 28. 40. 54. 67. 96. 101. 120. 122. 145.

Verum haec hactenus. Vidimus jam antea Lycurgi genus dicendi Isocratis scholam redolere. Extant vero praeterea quaedam in Leocratea, quae Lycurgus ab Isocrate videtur mutuatus esse. Sic Lycurgus § 51 dicit *τιμὴν ἀπονέμειν,* quod nisi in Isocrate nusquam invenitur. Ceteri oratores *τιμὴν νέμειν* dicunt. Cfr. Dem. Lept. § 141. At Isocrates *τιμὴν ἀπονέμειν* dicit Paneg. § 1. 178; de pace § 117. 123. 139; Evag. § 6. 15. Item *πέρας ἔχειν* id est „ad summum fastigium pervenisse“ quod in Leocratea (§ 60) apparet. Isocrateum est. Cfr. Isocrat. ad Philipp. § 141; Paneg. § 5 (cfr. Maetzner p. 187. 172).

Nonnulli denique Leocrateae loci tam sunt locis quibusdam Isocratearum orationum similes, ut eos a Lycurgo aut plane exscriptos aut ei sua scribenti ante oculos obversatos esse oporteat. Quos locos Maetznerus in Lycurgi editione perspexit et aperuit, sed tamen, quum, quae hic vir doctissimus diffuse et disperse notat, non satis accurate, quomodo Lycurgus Isocratem exscripserit, ostendant, eos, quo facilius inter se comparari possint, unum in locum colligi et sub unum aspectum subjici, utile mihi videtur esse. Summa vero

similitudo inter Leocrateam et Isocratis orationem in Lochiten habitam intercedit, ex qua non solum sententias multas depromsit, sed etiam nonnunquam ipsa Isocratis verba in suam orationem transtulit. Quo id magis probetur, hos locos totos exscribimus. Cfr.

Lyc. § 63: *Ἴσως οὖν τῶν συνηγόρων αὐτῷ τις τολμήσει εἰπεῖν, μικρὸν τὸ πρᾶγμα ποιῶν, ὡς οὐδὲν ἂν παρ᾽ ἕνα ἄνθρωπον ἐγένετο τούτων·*

Is. in Loch. § 5: *Ἴσως οὖν Λοχίτης ἐπιχειρήσει μικρὸν ποιεῖν τὸ πρᾶγμα, διασύρων τὴν κατηγορίαν καὶ λέγων, ὡς οὐδὲν ἐκ τῶν πληγῶν κακὸν ἔπαθον.*

Lyc. § 14: *Δεῖ δ᾽, ὦ ἄ, μηδὲ ταῦτα λαθεῖν ὑμᾶς, ὅτι οὐχ ὅμοιός ἐστιν ὁ ἀγὼν περὶ τούτου καὶ τῶν ἄλλων ἰδιωτῶν.*

Loch. § 1: *Τὸ δ᾽ ἁμάρτημα τοῦτ᾽ οὐχ ὅμοιον δεῖ νομίζειν τοῖς ἄλλοις οὐδὲ τὰς τιμωρίας ἴσας ποιεῖσθαι κτλ.*

Lyc. § 65: *Ἐκεῖνοι γὰρ* (sc. *οἱ ἀρχαῖοι νομοθέται*) *οὐ τῷ μὲν ἑκατὸν τάλαντα κλέψαντι θάνανον ἔταξαν, τῷ δὲ δέκα δραχμὰς ἔλαττον ἐπιτίμιον· οὐδὲ τὸν μὲν μεγάλα ἱεροσυλήσαντα ἀπέκτειναν τὸν δὲ μικρὰ ἐλάττονι τιμωρίᾳ ἐκόλαζον . . . ἀλλ᾽ ὁμοίως ἐπὶ πᾶσι καὶ τοῖς ἐλαχίστοις παρανομήμασι θάνατον ὥρισαν εἶναι τὴν ζημίαν.*

Loch. § 6: *Ὁρῶ δ᾽ ὑμᾶς, ὅταν του καταγνῶθ᾽ ἱεροσυλίαν ἢ κλοπὴν οὐ πρὸς τὸ μέγεθος ὧν ἂν λάβωσι τὴν τίμησιν ποιουμένους ἀλλ᾽ ὁμοίως ἁπάντων θάνατον καταγιγνώσκοντας καὶ νομίζοντας δίκαιον εἶναι τοὺς τοῖς αὐτοῖς ἔργοις ἐπιχειροῦντας ταῖς αὐταῖς ζημίαις κολάζεσθαι.*

Lyc. § 7: *Ὁ δὲ νῦν ἐνεστηκὼς ἀγὼν οὐ μικρόν τι μέρος συνέχει τῶν τῆς πόλεως οὐδὲ ἐπ' ὀλίγον χρόνον, ἀλλ' ὑπὲρ ὅλης τῆς πατρίδος καὶ κατὰ παντὸς τοῦ αἰῶνος ἀείμνηστον καταλείψει τοῖς ἐπιγινομένοις τὴν κρίσιν.*

§ 59: *Ἐγὼ δὲ ἡγοῦμαι τοὺς μὲν τούτων κυρίου, μέρος ἄν τι προδοῦναι τῆς ὑμετέρας δυνάμεως τουτονὶ δ' ὅλην ἐκδότον ποιῆσαι τὴν πόλιν.*

Loch. § 9: *Εὑρήσετε γὰρ τὰς μὲν ἄλλας ἀδικίας μέρος τι τοῦ βίου βλαπτούσας, τὴν δ' ὕβριν ὅλοις τοῖς πράγμασι λυμαινομένην.*

Etiam Isocratis Panegyricum Lycurgus saepe videtur expressisse. Loci enim hi inter se sunt simillimi.

Lyc. § 48	=	Is. Paneg.	§ 92
„ § 70	=	„ „	§ 72
„ § 72	=	„ „	§ 119
„ § 104	=	„ „	§ 159
„ § 108	=	„ „	§ 91.

In ceteris vero Isocratis orationibus duo exstant loci, quos Lycurgo obversatos esse verisimile est. Magna enim similitudo intercedit inter Lyc. § 98 et Is. Panath. § 193 et Lyc. § 108 et Is. Aegin. § 44.

Praeterea Lycurgum etiam ex Lysiae oratione in Philonem habita sumsisse quaedam, Maetznerus primus animadvertit (cfr. Maetznerus adn. ad § 59 p. 184). Duas

enim sententias ex Lysiana orationes (§ 27. § 26) in Leocratea Lycurgus renovavit (§ 9. § 59).

Tot igitur in locis quum nostrum oratorem aliorum partim verbis partim sententiis usum esse videamus, facere non possumus, quin eum aequo plus alienis se pennis ornavisse dicamus.

II.

De argumentatione, qua Lycurgus in Leocratem utitur.

Populus Atheniensis, penes quem omnes rei publicae partes erant, etiam causarum litiumque summus erat arbiter atque judex. Etenim sex milia juratorum a populo quotannis delectorum omnia, quae in forensi disceptatione versabantur, exceptis illis sceleribus rarioribus gravioribusque, quae ad Areopagum pertinebant, dijudicabant. Sed quum ii, qui deligebantur id muneris neque ullo ingenio suo neque rerum usu nec probata cognitaque integritate assequerentur, sed sorte, caeca illa iniquaque fortunae casusque ministra, adipiscerentur, fieri non potuit, quin iisdem vitiis, quibus universus populus maculatus erat, etiam judicia inquinata essent. Nihil igitur est, cur ea levia, vana, assentationum cupida, ad iram misericordiamque facile propensa fuisse miremur. Quae res eo majori incommodo pernicieique fuit, quod juris Attici ea condicio erat, ut non tam ex iis, quae legibus dilucide praescripta essent,

quam ex iis, quae unusquisque judicum justa et aequa putaret, paullum tantum legum ratione habita, judicia ferenda essent. Nam neque omnia, quae in hominum vita et privatim et publice in controversiam venire possunt, legibus provisa neque singula scelera ac delicta satis acute et perspicue descripta definitaque erant, ut cujusnam legis nomine aliquod delictum puniendum esset, facile judices perspicerent. Unde factum est, ut oratores verum legum sensum non curantes leges arbitratu suo et ut sibi ipsis conduceret, interpretarentur. Hinc Socrates necatus, hinc decem duces ad Arginusas victores interfecti, hinc tot tantique viri de re publica optime meriti injuste et inique condemnati sunt. Nam judices non sola justi gravitate aut argumentorum vi ad suam sententiam perducebantur, sed aequo facilius animi perturbationibus in judicando commovebantur. Jam in eo, quod unusquisque oratorum in omni fere oratione judices jurisjurandi heliastici commonefacit, quo ex legibus se judicaturos esse juravissent (*τοὺς ὀμωμοκότας κατὰ τοὺς νόμους δικάζειν* Isaeus XI, 6. II, 47; Aesch. in Ctes. 6; Demosth. XVIII, 2. 121. 217; Lyc. in Leocr. § 13. 128; Andoc. I, 2. 9. IV, 9; Lys. XIX, 11; Dem. adv. Mid. § 9 c. 51 *a*; in Aristocr. § 19. 101. LVIII, 25; Antiph. I, 2), atque hortatur, ut sententiam huic jurijurando convenientem ferant, probabile argumentum est, saepe secus factum esse. Mirandum igitur non est, quod litigantes judicibus non tam argumentis persuadere quam eorum animos assentando, ira, odio, invidia, vanitate, dignitate, misericordia, aliis permotionibus excitandis sibi conciliare, ab adversario abalienare solebant. Quin

artes illae, quibus rhetorices praecepta tradebantur, id studiose tractabant, quomodo animi eorum, qui audiunt, dicendo et inflammari et sedari possent. Inde factum est, ut apud veteres oratores probandi acumen et confirmationis veritatem saepe desideremus, contra dicendi ornamenta et lumina summo opere adhibita videamus. Unus tamen nobis Demosthenes exceptus sit, qui argumentorum gravitate aeque ac dicendi splendore enitet, quamquam in hoc quoque compluria inveniuntur speciosius quam verius dicta.

Quibus de ornamentis orationum et a veteribus et a recentioribus multum disputatum esse video, quae vero argumentandi fides, quod acumen, quae gravitas sit, subsecivis magis curis leviterque perstrictum, quam penitus deditaque opera investigatum est. Atqui hae res omnis orationis quasi medulla animaque esse videntur, quum ornatus iste extraneum tamquam quoddam involucrum splendidum et magnificum sit, quo apud Graecos oratores nimis saepe, quae penitus vitiosa pravaque sunt teguntur et abduntur. Multum autem ad verum cognoscendum interest, ut detractis omnibus pigmentis fucisque, quid subsit veri, honesti, gravitatis, rationis aperiatur et illustretur. Quodsi fortasse ii aegre ferent, qui veteres oratores summe admirari solent, quia vitia haud parva tam praeclara admirabilique veste occulta esse sentient, isto se levent solatio, nihil nobis magis adamandum esse quam veritatem, quam qui perspicere propagarique vult nulla specie, nullo ornatu se decipi sinet, omnique cultu dimisso solum, quid subsit veri studiose dispiciet et aperiet. Ac si hac ratione

disputationem instituerimus, veterum oratorum admiratio sane paullulum imminuetur, sed quae amiserimus etiam uberius eo compensatur, quod non solum, quomodo re vera oratores in orationibus conficiendis se habuerint, noverimus, verum etiam, qua condicione Athenae, talis eloquentiae procreatrices, usae sint, quae ibi mores valuerint, inde concludere et pernoscere poterimus.

Talis quaestio de nulla magis apte quam de Lycurgi oratione institui posse mihi visa est. Nam quum omnium consensu vir summae antiquitatis fuerit, quo nemo neque integrior fuit in civitate neque sanctior, quae in ejus oratione prave judicata, turpiter insimulata, consulto aliter ac re vera acciderant, narrata, male probata sunt ea non ex ejus natura atque indole, sed ex Atheniensium eloquentiae condicione fluxisse, perspicuum est. Qua in disputatione id maxime agemus, ut argumenta, quae Lycurgus affert, in judicium vocemus, ut quid valeant, cognoscamus. Quod si fecerimus, pernoscere poterimus, num recte justeque Leocratem reum fecerit, quantaque rei culpa fuerit, et cur Lycurgus ita, ut fecit, accusationem instituerit, intellegemus. Magna autem in hac re difficultas oritur, quod Lycurgi quidem accusationem habemus, Leocratis vero defensionem plane ignoramus, ut istud „audiatur et altera pars“ efficere nequeamus. Accusatores vero, suarum partium studiosos, cupidius saepe quam verius accusare, perspicuum est. Quo majore diligentia gravioreque judicio ea, quae Lycurgus dicit, nobis ponderanda sunt, ut inter ejus verba veram rerum quasi imaginem dispiciamus.

Omnino autem maxime nobis cavendum erit, ne iis animi motibus, quibus Lycurgus quasi flagrat, ipsi capiamur, quae quamvis laudabiles, ut odium in malos cives, ira in ignavos, amor patriae, mentis tamen aciem occaecant, et judicium conturbant. Alia quoque difficultas adest. Quum enim ex ratione Lycurgus aliquid concludit, ejus sententias examinare et vere an secus judicatum sit, intelligere possumus, sed quum factis narrandis rei culpam probare conatur, factorum vero testimonia non affert, rectene haec facta reo imputentur nec ne certo scire non possumus. Sed, dixerit forsan quispiam, tanta in Lycurgo morum integritas fuit, ut eum fallaciter facta aliqua ad reum perdendum animo finxisse, putare non possimus. Ut hoc concedamus, tamen verisimile est, Lycurgum ea tantum facta attulisse, quae accusationi conducerent, omisisse autem, quae scelus aut extenuare aut excusare poterant. Etiam illud probabile est, eum tanta ira, tanto odio, tantis perturbationibus commotum res non quidem falso excogitasse, sed tamen aliter atque acciderant, narrasse, auxisse, in majus extulisse, ita ut acerbiores et odiosiores videantur. Cujus rei exemplum in oratione extare, probari potest. Est igitur magna diligentia opus, ut quid verum sit, intelligamus.

Anteaquam vero ad argumenta ipsa examinanda accedamus, accusationis argumentum breviter exponi, utile esse mihi videtur.

Pugna ad Chaeroneam facta cum multis aliis metu perculsis etiam Leocrates quidam, qui Athenis servos ferrarios possidebat quinquagesimaeque particeps erat,

Athenis fugit et qrimum Rhodum, tum Megara se contulit, ubi plus quinque annos ut *μέτοικος* habitavit. Tanto tempore interjecto, quum neminem Atheniensium fugae suae amplius reminisci putaret, Athenas rediit, ibique ut ceteri cives in contione et sacrificiis publicis omnia civis jura usurpavit. Qui si privatus, suas tantum res gerens Athenis habitasset, rebusque publicis abstinuisset, nemo ei negotlum facessivisset. Sed (§ 142) *ἥκει ἱερῶν, θυσιῶν, ἀγορᾶς, νόμων, πολιτείας μεθέξων.* Hanc impudentiam moleste ferens, Lycurgus litem ei intendit (§ 5) *αἰσχρὸν εἶναι νομίσας τοῦτον περιορᾶν εἰς τὴν ἀγορὰν ἐμβάλλοντα καὶ τῶν κοινῶν ἱερῶν μετέχοντα, τῆς τε πατρίδος ὄνειδος καὶ πάντων ὑμῶν γεγενημένον.* Scelera, quorum eum accusat, § 147 enumerat. Etenim eum coarguit, *προδοσίας, δήμου καταλύσεως, ἀσεβείας, γονέων κακώσεως, λειποταξίου, ἀστρατείας.* Jam perspicuum est, qua in re sit quaestio. Leocrates quia fugit proditionis, impietatis etc. accusatur. Quaestio igitur duplex est. Nam scelus sitne factum nec ne ambigitur, et si factum est, restat, ut probetur, et proditionem et perduellionem et impietatem esse, si quis in summo patriae discrimine effugit. Itaque constitutio est propter hoc definitiva (*ὅρος*), propter illud conjecturalis (*στοχασμός*). In duabus igitur rebus Lycurgo maxime enitendum fuit, primum ut convinceret, reum re vera fugisse, deinde, quod est caput, ut ejus fugam proditionem et perduellionem et impietatem esse quam gravissimis argumentis confirmaret.

Exposita jam re, qua de agitur, reliquum est, ut

argumenta, quibus tot tantaque scelera comprobat, breviter exposita examinemus. Qua in re non solum ea argumenta, quae in illa orationis parte, quam rhetores latini confirmationem, Anaximenes βεβαίωσιν vocat, extant, sed quacunque in parte inveniuntur, considerabimus. Praeterea in argumentis exponendis nunc breviores esse poterimus, quippe quae in tertio capite copiosius explicanda sint.

Et primum quidem argumentum in narratione inest, ubi postquam, quomodo Leocrates fugerit et quo se contulerit (§ 16—20) explicavit, testes et Athenienses affert, qui eum Athenis fugisse sciebant, et eos, qui Rhodi aderant et audierant, quae ibi Leocrates profugus nuntiaverat et Phyrcinum quendam, qui item quinquagesimae particeps ejus fugam cognitam habuit. Quae confirmatio considerantibus nobis satis firma videtur esse, quum omnia, quae facta esse dicit, testimoniis comprobet, ita ut mihi certo probasse videatur, reum Athenis fugisse.

Quae inde sequitur narrationis pars (§ 21—25) ea, quae postea Leocrates egerit, continet. Narratur enim, eum Rhodo Megara se contulisse, ibique plus quinque annos, patrono utentem Megareo, habitasse et omnia, quae Athenis possedisset, Amyntae vendidisse. Cui narrationi in tertio capite id consilii subesse demonstrabitur, ut reum ipsum tanti sceleris sibi conscium fuisse comprobet, ita ut se unquam in patriam rediturum esse desperaverit. Nam si de reditu non desperasset, non ea omnia, quae Athenis possidebat, vendidisset. Etiam in hac narrationis parte per testes omnia,

quae contendit, comprobat, ut de factis ambigi non liceat. Illud quoque recte concludi potest, Leocratem mali facinoris ipsum sibi conscium fuisse.

Tertium argumentum (§ 29—31) ex eo, quod Leocrates *πρόκλησιν* recusavit, ductum est. Mox enim erat apud Athenienses, facta servis torquendis comprobari, quae probandi ratio multum valebat. Licuit autem unicuique postulare, ut adversarius servos suos torquendos traderet, aut ipsi suos tradere, quorum utrumque *πρόκλησις* nominabatur. Adversarius vero, si oblatam *πρόκλησιν* recusabat, quamvis liceret, invidiam tamen in se contrahebat, et suspicionem movebat, vera esse, quae ei crimini darentur. Quare provocationis recusatio omnibus oratoribus grave in adversarium argumentum est, quod reus culpae sibi conscius servos non tradidisse videbatur. Ex eadem re Lycurgus quoque argumentum ducit. Inde enim, quod Leocrates servos torquendos tradere noluerat, colligit, reum ipsum culpam confiteri § 29 *ἅμα τοίνυν ταύτην* (sc. *τὴν πρόκλησιν*) *οὐχ ἐδέχετο καὶ κατεμαρτύρει αὑτοῦ, ὅτι προδότης τῆς πατρίδος ἐστίν.* § 30 *οὗτος δὲ διὰ τὸ τούτους* (sc. *τοὺς οἰκέτας*) *συνειδέναι ἑαυτῷ οὐχ ὑπέμεινεν ἀλλ' ἔφυγεν.* Quod argumentum item ad id, quod agitur, probandum, idoneum esse mihi videtur. Nam si quis testes fugae suae tradere non vult, veri simillimum est, eum re vera fugisse.

Haec sunt omnia argumenta, quae ad fugam probandam pertinent. Ad alterum vero probandum, illam fugam proditionem esse, unum tantum argumentum (§ 52—54) affert. Quod quum non per se pateret, quo-

niam fuga etiam δειλίας vel ἀστρατείας nomine accusari potuit, gravissimis argumentis muniendum et evincendum fuit. Quare mirandum est, unum tantum hujus rei argumentum, ne satis firmum quidem prolatum esse. Similitudinibus enim propositis jam antea et ab Areopago et a populo profugos proditorum poena dignos habitos esse ostendit. Ab Areopago enim dicit eos, qui post cladem ad Chaeroneam acceptam Athenis effugissent capitis damnatos et, quot capti essent, interfectos esse. Etiam a populo ipso Autolycum, qui ne fugisset quidem sed uxorem liberosque Athenis amovisset, capitis condemnatum esse. Porro a populo decretum esse, eos, qui fugerent, proditionis crimen in se suscepturos esse. Quas similitudines si diligenter perpendemus, non ita magnam ad persuadendum vim afferre videntur. Nam si pacata in civitate tranquillo animo Areopagus populusque Atheniensis judicavissent, profugos ut proditores morte puniendos esse, haec priora judicia intuentibus liceret jure quodam etiam postea eadem poena profugos afficere. Sed quanto in omnium rerum discrimine, quantis animorum perturbationibus, quanta inter pericula, quanto in metu terroreque ista judicia facta sunt! Quod vero, quum gravissimae perturbationes mentium aciem pertrinxerint occaecarintque de fugientibus aliquando Athenienses statuerunt, idem sex fere annis post, quum ista perturbationum quasi nebula mentibus non amplius offusa fuerit, motuumque vacui ad accurate dijudicandum animi aptiores facti sint, nihil prorsus est, cur decernatur. Quum igitur jam illud vituperandum sit, quod uno tantum argumento confirmare

conatur, fugientes ut proditores puniendos esse, quippe in quo causa fere sola accusationis posita sit, magno vitio vertendum est, quod ipsum illud argumentum ne valet quidem ad id, quod agitur, persuadendum.

Sed hic consistat paullulum de argumentatione quaestio alioque se convertat. Permirum enim esse mihi visum est, quod argumentum quoddam, quod fere ultro sese offert summique momenti est, praetermisit. Nam quum populus id, quod § 53 commemoratur (*ἐνόχους εἶναι τῇ προδοσίᾳ τοὺς φεύγοντας τὸν ὑπὲρ τῆς πατρίδος κίνδυνον*), decrevisset, Lycurgus hoc maxime decreto nisus, Leocratem morte puniendum esse, optime probare potuit. Etenim post fugam per testes aliisque argumentis probatam statim si dixisset: „ex vestro ipsorum decreto, Athenienses, sine ulla controversia proditione Leocrates obnoxius est, cum vos ipsi decreveritis, *ἐνόγους εἶναι τῇ προδοσίᾳ τοὺς φεύγοντας κ. τ. λ.*“ quod si dixisset, firmissimo gravissimoque argumento, quod nequaquam reprehendi redarguique posset, usus esset, et reus certissime condemnatus esset. Aliud quoque est, quod miror. Illud decretum si re vera factum est, fieri non potuit, ut Lycurgus talem anteoccupationem insereret, qualis est (§ 59) *ἥξει δ᾽ ἴσως ἐπ᾽ ἐκεῖνον τὸν λόγον φερόμενος, ὃν αὐτῷ συμβεβουλεύκασί τινες τῶν συνηγόρων, ὡς οὐκ ἔνοχός ἐστι τῇ προδυσίᾳ οὔτε γὰρ νεωρίων κύριος οὔτε πυλῶν οὔτε στρατοπέδων οὐθ᾽ ὅλως τῶν τῆς πόλεως οὐδενός.* Nam illo decreto simpliciter dictum erat, fugientes proditioni obnoxios esse, nulla ratione habita, num is, qui fugeret, alicui civitatis parti praepositus esset. Reus igitur non potuit,

si istud psephisma valuit, dicere, proditorem se non esse, quia neque castris, neque portae neque navalibus neque ulli civitatis parti praefuerit. Sin tamen Lycurgus adversarium tale quid excusantem inducit, verbis, quae ad id refellendum multa facit, parcere, simpliciterque psephisma illud objicere potuit, quo omnes fugientes nullo excepto proditores esse sanctum erat. Quod si fecisset, ista rei excusatio facillime et certissime fracta et sublata esset. At neque in hac anteoccupatione neque antea usquam hoc decretum affert, nisi in § 52, ubi breviter ejus mentionem facit. Et ne ibi quidem hoc decretum in rem, quae agitur, convertit, neque quicquam ex eo concludit, sed quasi in praetereundo leviterque id verbis *ἔτι δὲ ὁ δῆμος ἐψηφίσατο κ. τ. λ.* adnectit, quod summum gravissimumque argumentum praebere potuit, ideoque fusius tractari debuit. Sed quum Lycurgum, qui summa cum diligentia crimina et argumenta undique in reum indagat et congerit, hujus argumenti, quod tam prope ad manus tamque grave est, oblitum esse aut negligentia id omisisse nequaquam verisimile sit, singulare quiddam et proprium fuisse oportet, quod eum, quominus in hoc argumento fortius institerit, impediverit. Quod nunc explorare conabimur.

Cujus rei duae omnino causa afferri possunt. Suspicari enim licet, decretum illud post Leocratis fugam demum factum esse, ita ut proditionis poena, quae eo fugientibus constituta erat, in Leocratem nondum caderet, utpote qui antea fugisset. Quod num ita se habeat, nullus ex antiquitate locus nos docet. Boehneke

vero (Forschungen p. 549 Anm. 1) hanc opinionem amplexus est. Nam „hoc decretum, inquit, factum est post Leocratis fugam, quia Lycurgus Leocratem non violati hujus psephismatis accusat, sed ejus, quod in prima post cladem populi concione factum." In quo jam illud fefellit virum doctissimum, quod Leocratem decreti alicujus violati accusatum esse putat. Leocrates vero non quia in legem aut psephisma aliquod, sed quia ignave, inhoneste, turpiter egerit, proditionis accusatur. Quod et ex totius accusationis ratione et ex ipso priore illo psephismate, cujus violati Leocratem accusatum esse dicit, colligi potest. Nam illud psephisma prius, quod § 16 commemoratur et explicatur, nihil ad fugientes spectavit, sed praecepit, ut Athenienses liberos uxoresque rure in urbem transferrent, et ut imperatores ad urbis praesidium, quemvis Atheniensium vel peregrinorum videbitur, eligerent. Non igitur ex hoc decreto in aliquem profugum, nisi interpretatione quadam adhibita agi potuit, quae in nostra oratione nulla est. Sed ut ad conjecturam illam redeat oratio, fac sane, multos et inter eos etiam Leocratem fugisse, et postea demum, ne amplius quis fugeret, illud decretum a populo factum esse, num verisimile est, populum eos tantum, qui posthac fugerent, morte afficiendos esse decrevisse, eos autem, qui jam antea fugissent praetermittentem minore poena dignos judicasse? Quin etiam gravius puniendi fuerunt, utpote qui prius fugientes fugae exemplum aliis edidissent. Non igitur Athenienses tale quicquam decrevisse, ex quo is, qui ante decretum fugisset, captus mitius clementiusque acciperetur, quam

qui postea evasisset, consentaneum est. Itaque maxime probabile ac fere certum esse mihi videtur, illud decretum etiam ad eos, qui ante fugerant, pertinuisse, mortemque item iis poenam constituisse. Lycurgus autem psephisma illud excitans generatim dicit, ἐνόχους εἶναι τῇ προδοσίᾳ τοὺς φεύγοντας, participio praesentis substantivi instar utens, ita ut et ad eos, qui ante, et ad eos, qui post decretum fugerint, pertineat. Lycurgus igitur in Leocratem, prius an post fugerit nihil curans, agere potuit, quod quum non fecerit, aliam quandam causam fuisse oportet. Videmus vero jam, quam nihil sit, cur ex eo, quod Lycurgus in argumentando illo decreto non nitatur, id post Leocratis fugam factum esse putemus.

Quod idem alia quoque ratione colligi potest. Nam fac sane iterum ejus, qui hoc psephisma rogavit populique aut indiligentia aut imprudentia factum esse, ut is tantum decreti sensus esset „ii, qui posthac fugient, proditionis poenae obnoxii sunto" num fieri potuisse putas, ut aliquis, qui antea fugisset, captus et proditionis accusatus, ita se defenderet, ut diceret, se quidem re vera fugisse et idcirco fortasse δειλίας aut ἀστρατείας sed non προδοσίας culpam in se suscepisse, quia paullo ante illud decretum fugisset? Num apud judices Athenienses tale quicquam excusari potuisse putas, quos non tam ex legum decretorumque litteris atque verbis, quam ex sensu suo quodam naturali judicasse constat? Nonne idem scelus, quod post decretum proditio esset, antea commissum eadem poena dignum esse judicassent? Nonne igitur accusatorem et eum quidem acerbissimum valdeque iratum, qui undique argu-

menta studiose confert, tamen ex hoc decreto rei proditionem comprobaturum et dicturum fuisse putas „si Leocrates paucis tantum diebus post fugisset, multis verbis mihi opus non esset, quia ex vestro ipsorum psephismate damnandus esset". Ergo Lycurgus ex hoc decreto argumentum ducere potuit, quod quominus faceret, alia aliqua re impeditus fuerit oportet.

Et mihi quidem ea fuisse causa videtur, quod illud psephisma in summo omnium rerum discrimine factum postea perfunctis periculis tranquillaque civitate antiquatum est. Haec causa jam inde probabilis est, quia nulla alia excogitari potest. Praeterea, si istam ponimus, perspicuum est, cur ex hoc psephismate Lycurgus in reum agere et grave argumentum ducere non potuerit, cur id leviter tantum memoret, ut, qui populi olim in fugientes animus fuerit, ostendat.

Hoc psephisma, de quo uberius disseruimus, Boehnekius (l. l. p. 548) partem alius psephismatis esse vult, quod etiam contineat *μήτε τινὰ ἔξω γενέσθαι τῆς πόλεως μήτε μὴν ἐκθέσθαι παῖδας καὶ γυναῖκας,* quae verba ex argumento (*ὑπόθεσις*) nostrae orationis deprompta sunt. Tale quicquam num omnino decretum sit, valde mihi incertum atque dubium videtur esse. Nam nusquam alibi, quam in illo argumento talis decreti mentio fit, tum ignotus quidam paroemiographus non satis auctoritatis habet, ut ejus unius testimonium satisfaciat. Huc adde, quod ille argumenti auctor non ex antiquitate traditum illud decrctum retulisse sed ex iis, quae in § 53 nostrae orationis leguntur, sibi videtur finxisse. Qui quum quam brevissime et quid Leocrates

commisisset et in quam legem vel quod decretum fecisset, indicare vellet, in illud, de quo supra disseruimus, decretum (§ 53 *ἐνόχους εἶναι τῇ προδοσίᾳ τοὺς φεύγοντας κτλ.*) fecisse ei visus est. Sed quum eadem paragrapho etiam Autolycum, qui uxorem liberosque Athenis amoverat, capitis damnatum esse narratur, illud simul decretum esse putavit et ipse sibi verba decreti composuit *μήτε τινὰ ἔξω γενέσθαι τῆς πόλεως μήτε μὴν ἐκθέσθαι παῖδας καὶ γυναῖκας.* Etiam vocabulum *ἐκθέσθαι* ex § 53 desumptum videtur esse, ubi bis usurpatur *ὑπεκθέσθαι.* Non igitur veri simile mihi videtur, nostrum decretum cum illis verbis sic ut paroemiographus dicit, conjunctum fuisse. Itaque in Blumii sententiam (Lyc. ed. Blume excurs. I. p. XVIII), a Kiesslingio magis etiam firmatam (fragmenta Lycurgi p. 109), abeo, qui nostrum decretum (*ἐνόχους εἶναι τῇ προδοσίᾳ τοὺς φεύγοντας τὸν ὑπὲρ τῆς πατρίδος κίνδυνον*) ad notum clarumque illud Hyperidis psephisma pertinere dicit, ad quod certo ea pertinent, quae § 37 et 41 traduntur. Hoc psephismate etiam sanctum erat, ut servi liberi, peregrini Athenienses, capite deminuti integri fierent. Quod quum Athenienses imminente periculo impulsi decrevissent, quia Philippum Atticam invasurum Athenasque obsessurum esse expectabant, verisimile ac fere certum est, hoc psephisma, quo etiam Atheniensium vanitas atque dignitas valde offendebatur (cfr. § 41), quum Philippus neque Atticam intraret neque Athenas obsideret, antiquatum esse. Quo antiquato, etiam locum, qui de fugitivis egit, nullius amplius momenti fuisse, per se intelligitur.

Sed jam redeat, unde huc declinavit oratio. Vidimus supra, fugam quidem a Lycurgo probatam esse, sed argumentum, quo hanc fugam etiam proditionem esse, id quod Lycurgo maxime cordi est, probaturus est, non satis grave et ad persuadendum aptum esse. Praeter proditionem autem etiam aliorum multorum scelerum eum accusat, *δήμου καταλύσεως, λειποταξίου, ἀστρατείας, ἀσεβείας, γονέων κακώσεως,* quibus delictis gravissimae poenae constitutae erant. Haec crimina tot tantaque argumentis quibusdam muniri et confirmari et, cur simplex fuga etiam *δήμου κατάλυσις, ἀσέβεια* etc. sit, ostendi oportuit. Sed raro ista crimina proprie confirmare conatur, quod equidem alterum non mediocre argumentationis vitium esse dixerim. Summatim tantum in peroratione (§ 147) omnia crimina repetens et complectens paucis verbis unumquodque crimen ornat, quae argumentorum speciem magis quam vim prae se ferunt. Quae argumenta si accurate consideramus, eum artificio quodam usum esse videmus. Mala et calamitates, quae potuissent quidem accidere, at non acciderant, tamquam si re vera accidissent, per Leocratem evenisse confirmat. Dicit enim l. l. *ἔνοχον ὄντα Λεωκράτη ἐστὶν ἰδεῖν προδοσίας μὲν, ὅτι τὴν πόλιν ἐγκαταλιπὼν τοῖς πολεμίοις ὑποχείριον ἐποίησεν* — falso, non enim urbs in hostium potestatem venit. — *δήμου δὲ καταλύσεως, ὅτι οὐχ ὑπέμεινε τὸν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας κίνδυνον* — falso, nam *δήμου κατάλυσις* est, si quis popularem potestatem evertere et tyrannidem instituere conatur, id quod Leocrates non fecit — *ἀσεβείας δ', ὅτι τοῦ τὰ τεμένη τέμνεσθαι καὶ τοὺς νεὼς κατασκάπτεσθαι*

τὸ καθ' ἑαυτὸν γέγονεν αἴτιος — iterum artificium illud vides, nam neque sacri agri vastati, neque Deorum templa diruta sunt — τοκέων δὲ κακώσεως, τὰ μνημεῖα αὐτῶν ἀφανίζων καὶ τῶν νομίμων ἀποστερῶν — item falso, nam majorum monumenta excisa non sunt — λειποταξίου καὶ ἀστρατείας, οὐ παρασχὼν τὸ σῶμα τάξαι τοῖς στρατηγοῖς — hoc quidem crimen re vera in reum cecidit, quia Leocrates militiae subeundae tantis in rei publicae periculis se offerre debuit, praesertim quum etiam senes plus quinquaginta annos nati arma caperent (Lyc. § 39). Tale delictum proprie ἀστρατεία vocabatur, potuit vero etiam λειποτάξιον nominari (cfr. Meyer et Schoemann, Attisch. Proz. p. 364: Platner, Proz. und Klage bei den Attik. p. 89). Cujus sceleris poena capitis deminutio erat (cfr. Meier et Schoemann p. 365).

Praeter hanc concisam et compendiariam argumentationem, qua omnia crimina Lycurgus probare conatur, singulorum scelerum firmamenta nonnullis locis invenimus. Dicit enim ad crimen λειποταξίου probandum § 131: τοσούτῳ δ' ἂν δικαιότερον οὗτος ἀποθάνοι τῶν ἐκ τῶν στρατοπέδων φευγόντων, ὅσον οἱ μὲν εἰς τὴν πόλιν ἥκουσιν ὡς ὑπὲρ ταύτης μαχούμενοι ἢ κοινῇ μετὰ τῶν ἄλλων συνατυχοῦντες, οὑτοσὶ δ' ἐκ τῆς πατρίδος ἔφυγεν ἰδίᾳ τὴν σωτηρίαν πορίζόμενος. Nihili hoc est. Nam qui signis desertis in urbem redeunt, pericula imminentia vitaturi suamque ipsorum salutem quaerentes, non urbem defensuri redeunt. Quodsi urbem re vera defendere voluissent, in exercitio manere debebant. Porro militem, qui signa desert multo gravius

scelestiusque peccare quam hominem privatum, qui urbem relinquit, per se intelligitur.

Deinde (§ 25—28) quod Leocrates penates Megara transferendos curavit, eum *ἀσέβειαν* commisisse dicit, *ὅτι ἐκ τῆς πατρίδος αὐτὰ* (sc. *τὰ πατρῷα ἱερά*) *κινήσας συμφεύγειν ἑαυτῷ ἠξίωσε καὶ ἱδρύσασθαι ἐπὶ ξένης καὶ ἀλλοτρίας καὶ εἶναι ὀθνεῖα τῇ χώρᾳ καὶ τοῖς νομίμοις τοῖς κατὰ τὴν Μεγαρέων πόλιν εἰθισμένοις.* In hoc crimine primum illud offendit, quod ejus rei testes nullos affert, quo tota res infirmatur. Fueritne autem haec *ἀσέβεια* nec ne, certo nos dijudicare non possumus, quia *ἀσεβείας* vis atque natura non certis finibus apud Athenienses circumscripta fuit et unusquisque, quid impium esset, magis sentiebat, quam accurate intellegebat. At mihi ista impietas aut nulla aut pertenuis videtur esse, quum „qui Athenis in alias terras habitatum concedebant, *πατρῴους* suos secum avehere“ solerent (Isaeus ed. Schoemann. comment. p. 201).

Huc etiam referri potest, quod § 136—138 commemoratur. Lycurgus enim dicit, Leocratem patris statuam hostibus reliquisse „*ἱεροσυλῆσαι καὶ αἰκίσασθαι*“. Id crimen, utrum *ἀσέβεια* an *γονέων κάκωσις* sit, dubium est. Nam tam parum accurate *ἀσέβεια* et *γονέων κάκωσις* definitae erant, ut, si quis defunctorum sepulcra vel monumenta violarat et profanarat aut justa funebria (*τὰ νομιζόμενα*) non persolverat, is et *ἀσεβείας* et *γονέων κακώσεως* accusari potuit (cfr. Meier et Schoemann p. 301. 288; Platner II, 233). Itaque ad utrum crimen probandum hoc argumentum Lycurgus afferat, nescimus, nisi ex eo, quod § 147 crimen *τοκέων κακώ-*

σεως firmatur verbis „τὰ μνημεῖα αὐτῶν ἀφανίζων“ etiam hic, ubi item de mortuorum monumentis violatis agitur, idem crimen significari concludere velis. Sed hoc valde incertum est et fortasse Lycurgo ipsi dubium fuit. Praeterea quid de ejusmodi criminibus Athenienses judicarint, non satis constat. Illud vero certissimum est, Lycurgum modum excedere reique gravitatem exaggerare, si dicit *ἐγὼ δὲ, ὦ ἄνδρες, οὐκ ἠγνόουν τοῦτο τὸ ἀδίκημα ἄξιον τῆς μεγίστης τιμωρίας* id est *θανάτου.* Hujus argumenti vis etiam inde debilitatur, quod ista *αἰκία καὶ ἱεροσυλία τῆς τοῦ πατρὸς εἰκόνος* re vera non accidit.

Aliud denique argumentum ex jurejurando sumit, quod juvenes Athenienses, quum *ἔφηβοι* fierent, jurabant (§ 75). Est autem hoc argumentum non satis planum et perspicuum, ut utrum eo *ἀσέβεια* an *προδοσία* probetur, perspici possit. Quod jusjurandum in Stobaei sermon. 61, 141 et Polluce VIII, 106 servatum juvenes obstrinxit, ut fortes in pugna se praestarent, Deorum sacra defenderent, patriam amplificarent, legibus parerent. In hoc jusjurandum totum Leocratem fecisse et idcirco pejerasse contendit. Perjurium vero jure Attico *ἀσέβεια* fuit (cfr. Platner II, 141). Ad impietatem igitur demonstrandam hoc argumentum aptum est, quod Lycurgus ipse indicat § 76 *ὃν* (sc. *ὅρκον*) *εἰ μὲν ὀμώμοκε Λεωκράτης φανερῶς ἐπιώρκηκεν καὶ οὐ μόνον ὑμᾶς ἠδίκηκεν ἀλλὰ καὶ εἰς τὸ θεῖον ἠσέβηκεν.* § 78 verbis *καίτοι πῶς ἄνθρωπος γένοιτο ἀνοσιώτερος ἢ μᾶλλον προδότης τῆς πατρίδος;* rem ita vertit, ut proditio inde probari videatur. Quod autem § 76 dicit *εἰ δὲ μὴ ὀμώ-*

μοκεν, (sc. *τὸν ὅρκον*) *εὐθὺς δῆλός ἐστι παρεσκευασμένος οὐδὲν ποιήσειν τῶν δεόντων* perridicula suspicio est. Non enim putari potest, quemquam duodeviginti annorum natum jam eo consilio jusjurandum aliquod subterfugisse, ut postea nefarie agere ei liceat. Quod addidisse Lycurgus videtur, ut rei indoles eo pejor nequiorque videatur, utpote qui jam juvenis tam scelestum consilium ceperit. Perjurium vero ut demonstret factum esse, Leocratem in singulas jurisjurandi partes fecisse docet § 77. Etenim in jurejurando erat *οὐ καταισχυνῶ ὅπλα τὰ ἱερά*. Huc spectat *τίνα δ' ἂν τρόπον ὅπλα καταισχύνειέ τις μᾶλλον, ἢ εἰ λαβεῖν μὴ θέλει καὶ τοὺς πολεμίους ἀμύνασθαι;* Captiosa haec est ratio, nam arma contaminare, nisi qui iis ignave utitur, non potest. Tum jusjurandum pergit *οὐδ' ἐγκαταλείψω τὸν παραστάτην, ὅτῳ ἂν στοιχήσω*. Ad hoc respicit *πῶς δ' οὐ καὶ τὸν παραστάτην καὶ τὴν τάξιν λέλοιπεν ὁ μηδὲ τάξαι τὸ σῶμα παρασχών;* item captiose dictum, quoniam *παραστάτην* deserere non potest, nisi qui ipse miles habet, prope quem stet. Tum est in jurejurando *ἀμυνῶ δὲ ὑπὲρ ἱερῶν καὶ ὁσίων καὶ μόνος καὶ μετὰ πολλῶν*. Huc pertinet *ποῦ δ' ὑπὲρ ὁσίων καὶ ἱερῶν ἤμυνεν ἂν ὁ μηδένα κίνδυνον ὑπομείνας*. Horum verborum sensus est „Ubi humana divinaque *defendisset*, qui nullum periculum subiit“. At hic sensus aptus non est. Nam ut Leocratem pejerasse ostendatur, eum re vera humanas divinasque res non defendisse dicendum est. Etenim ex eo, quod Leocrates humanas divinasque res oblata aliquando occasione non defendisset, nequaquam colligi potest, eum in jusjurandum egisse.

Particula *ἂν* igitur ejici oportet, ut aptus sensus evadat. Qua remota bonus sensus oritur „ubi humana divinaque tuitus est, qui nullum periculum subiit". Mea igitur sententia *ἂν* ejiciatur, quod vocabulum, si recte video, ex sequentibus „*τίνι δ' ἂν τὴν πατρίδα παρέδωκε μείζονα προδοσίᾳ*", ubi *ἂν* recte positum est, in nostrum locum irrepsit.

Sed nunc de verbis ad sententiam, quae subest, redeamus. Ac profecto, hac in re Lycurgus recte Leocratem coarguit, quum illis temporibus divina humanaque non defenderit et, si rem, ut dicunt, ad vivum resecas, perjurii culpam in se contraxit. In jurejurando porro est, *τὴν πατρίδα οὐκ ἐλάσσω παραδώσω, πλείω δὲ καὶ ἀρείω, ὅσην ἂν παραδέξωμαι.* Huc spectat, *τίνι δ' ἂν τὴν πατρίδα παρέδωκε μείζονα προδοσίᾳ;* Etiam haec verba ad illa jurisjurandi verba respicere et Wesselingius (ad. Petit. legg. Attic. p. 232) cognovit et nunc inter omnes constat. Sed quum in jurejurando dicatur „patriam non minorem sed majorem relinquam" Lycurgo, ut reum in hoc jusjurandum egisse ostendat, dicendum erat „nihil" vel „nulla re majorem patriam reliquisset" sc. si mortuus esset. Cui sententiae si interrogandi speciem ac formam adhibemus, Lycurgo dicendum fuit „Quanto majorem patriam reliquisset?" sc. si mortuus esset. Itaque *τίνι* nostro loco significare debet idem quod *πόσῳ*. Sed hoc sensu nunquam dativus *τίνι* sed solummodo accusativus *τί* usurpari potest (cfr. Krueger, Gr. Gr. § 48, 15, 11), quamobrem *τί* mihi rescribendum esse videtur. Quo reposito sensus hujus loci a vv. dd. tam varie agitati est „Quanto majorem

patriam proditione reliquisset, si mortuus esset?“, et vernacule „Um wie viel würde wohl durch seinen Verrath das Vaterland gröſser gewesen sein, das er hinterlassen hätte, wenn er gestorben wäre?“

Ceterum hoc loco ἄν recte positum est, ut Maetznerus vidit (Lyc. ed. Maetzn. p. 214). Est enim hypothetica enuntiatio et supplendum εἰ ἀπέθανεν.

Rem vero et sententiam considerantibus nobis, item hoc jure suo Lycurgus contendere videtur. Nam fuga Leocrates patriam nequaquam amplificavit, iterumque perjurii culpa in eum cadit. Sed si tam severe et acerbe judicatur, omnes Athenienses perpaucis exceptis pejeraverunt. Quotus enim quisque de se praedicare potuit, fore ut patria per se aucta relinqueretur? Injuria igitur Lycurgus tantopere in jurisjurandi verba insistit. Quod si fit, illud decantatum fere accidit, summum jus summa injuria.

Neque major vis in exemplis inest, quae permulta ex Atheniensium Spartanorumque historia in fine totius argumentationis eo consilio afferuntur, ut ostendatur, proditores morte punitos esse. Quae omnia exempla nihil ad persuadendum valent. Nam etiamsi sexcentos proditores morte punitos esse ostendit, num inde sequitur, ut is, qui fugit, proditor sit? Nam non ambigitur, num proditor interficiendus sit, sed num Leocrates patriam prodiderit.

Praeter haec aliud quoddam argumentorum genus, anteoccupationes dico, adhibitum est, de quibus, quum inde item accusatio firmetur, nobis nunc disputandum est.

Prima anteoccupatio (§ 31—36) proxime post argumentum e provocatione ductum collocata est. Ibi dicit *χωρὶς τοίνυν τούτων Λεωκράτης ἀναβοήσεται αὐτίκα ὡς ἰδιώτης ὢν καὶ ὑπὸ τῆς τοῦ ῥήτορος καὶ συκοφάντου δεινότηρος ἀναρπαζόμενος.* Nos quidem, qui ex rerum historia veterumque scriptis Lycurgi integritatem probitatemque satis cognitam habemus, talis criminis cum absolvere non dubitabimus. Sed fortasse eum non absolveremus, si Lycurgi indoles ex una hac oratione tantum aestimanda nobis esset. Quin etiam Meierum talem suspicionem in eum movisse videmus, qui dicit (Kiessling et Meier fragm. Lyc. p. CXL „exaggeratae tamen acerbitatis virus in obscurum mercatorem octavo demum post fraudem ab eo, si Dis placet, commissam anno evomitum ab se ita absterret, ut in legendo de ipsa accusationis veritate dubites, atque nonnunquam haesites improbine calumniatoris vel sophistae, qui dicebatur, an justi accusatoris libellum in manibus habeas.“ Quod non plane rectum est. Non enim Lycurgus acerbitatis odiique virus per octo annos secum portasse et exaggerasse et tum demum occasionem nanctus in Leocratem evomuisse putandus est, a qua nequitia Lycurgus afuit, sed Leocratem reducem accusare primum quidem Lycurgus omnino in animo non habuit, postea autem, quum Leocratem in foro volitantem, sacrorum publicorum participem, omnia denique civis jura usurpantem videret, tanta ista insolentia impudentiaque iratus in judicium eum vocavit. Quod paroemiographus et recte et concise mihi dixisse videtur verbis „*παῤῥησιαζομένου αὐτοῦ κατηγορίαν ποιεῖται ὁ Λυκοῦργος αὐτοῦ ὡς προδότου.*

Ut autem Lycurgus delatoris et calumniatoris crimine se purgaret, se in una quadam re non delatorum ratione accusationem instituisse dicit. Judices igitur inde colligere posse, se omnino delatorem non esse. Res autem, in qua afferenda non delatorem se praebuerit, proclesis est, quae fuit causa, ut hanc refutationem proxime post argumentum ex abdicata proclesi petitum posuerit. Delatores enim in accusando eas regiones atque provincias sibi eligere dicit, in quibus artificiis suis, captionibus, sophismatis, mendaciis uti possint, se vero ut servi torquendi traderentur poposcisse. In servis autem, si torqueantur, nullam captionem, nullum artificium valere, nam (§ 32) *κατὰ φύσιν γοῦν-βασανιζόμενοι πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν περὶ πάντων τῶν ἀδικημάτων ἔμελλον φράσειν οἱ οἰκέται καὶ αἱ θεράπαιναι.* Itaque quum delatores quaestionem instituere noluissent, Lycurgus se non delatorem esse probat. Quae conclusio, quamvis non ita, ut plane recta videatur, mentes necessitate quadam adstringit, quoniam ex eo, quod in una quadam re delatorem se non praebuit, non sequitur, ut omnino delator non sit, tamen probabilis est; quare apte mihi Lycurgus, quod ei ab adversario objectum iri dicit, non tam refutasse, quam infregisse ac debilitasse videtur.

Altera in anteoccupatione (§ 55—59) reum dicturum facit, se Athenis quidem discessisse sed non ut pericula subterfugeret, sed, quum mercator esset, rei gerendae causa.

Id Lycurgus mendacium esse contendit et hac ratione reprehendit. Primum enim mercatores ex portu

cum uno servo proficiscuntur, Leocrates vero per portulam fugiens a litore cum compluribus servis et amatrice navem conscendit. Deinde mercator non sex annos Megaris habitasset neque Deos penates arcessivisset. Tum Leocrates nunquam mercator fuit, neque unquam merces Athenas vexit. Tum quinquagesimae particeps fuit, quam magno ipsius damno non reliquisset. Ex his rebus omnibus colligi potest Leocratem non mercaturae causa Athenis discessisse. Quae refutatio bona esse firmaque mihi videtur. Pleraque enim per testes jam supra (§ 21) firmata sunt, cetera Atheniensibus ipsis nota fuisse, credibile est, quae si vera sunt, etiam illud concludi oportet, reum non mercaturae causa Rhodum se contulisse.

Tertia in anteoccupatione (§ 59—63) dicit *ἥξει δ' ἴσως ἐπ' ἐκεῖνον τὸν λόγον φερόμενος . . . ὡς οὐκ ἔνοχός ἐστι τῇ προδοσίᾳ· οὔτε γὰρ νεωρίων κύριος οὔτε πολῶν οὔτε στρατοπέδων οὐθ' ὅλως τῶν τῆι πόλεως οὐδενός.* Adversarium igitur fugam confitentem, sed eam non proditionem esse dicentem facit. Eum enim modo proditorem esse, qui alicui civitatis parti praepositus, hanc partem hostibus tradiderit. Quod si Leocrates diceret, recte mihi quidem dicere videretur. Haec enim jure Attico propria proditionis significatio fuisse videtur, qua de re cfr. Lys. 25, 26. Aesch. III, 561. Hyper. p. 5 ed. Blass. Meier et Schoem. p. 341. Platner p. 84. Sed videamus jam, quomodo haec Lycurgus refutare conetur. Est autem haec refutatio magni momenti, quum ea de re agat, in qua causam actionis positam esse et ex qua totam controversiam pendere supra (p. 27)

vidimus. Lycurgus enim probare debebat, fugam re vera proditionem esse. At id nequaquam probare conatur, sed, tamquam si jam probatum et ab omnibus concessum sit, loquitur. Dicit enim, eos, qui aliquam civitatis partem, cui praefecti sint, prodant unam tantum partem prodere, Leocratem vero totam civitatem prodidisse. At id ipsum est, quod quaeritur, num Leocrates urbem prodiderit. Sed fac, sane eam prodiderit, num ejus proditio major est, quam ejus, qui urbis portam aut navalia aut castra hostibus tradit? Minime vero. Nam etiam hoc modo tota urbs traditur. Neque minus falsum et captiosum est, quod proxime affert; illos enim, qui civitatis partem aliquam prodant, vivis tantum injuriam inferre, Leocratem vero etiam mortuis Disque intulisse dicit. Nam illorum proditione item fieri potest, ut mortui *τῶν νομίμων* priventur, eorumque statuae sepulcraque violentur et evertantur. Porro illorum proditione urbem libertate quidem privari dicit, at non civibus carere, Leocratis vero proditione futurum fuisse, ut devastaretur, incolisque vacua esset. Depopulationem vero multo majus malum quam servitutem esse. Quae probandi ratio item fallax et captiosa est, quum dubium sit praesertim apud Athenienses, num servitus interitu urbis tolerabilior sit, et illorum quoque proditione accidere possit, ut hostis victor urbem depopuletur civibusque denudet.

Omnes igitur hujus ratiocinationis partes pravas, perquam infirmas, nihil valentes esse liquet. Rem, in qua probanda summum studium ponendum fuit, non probat et velut si probata certaque sit, ex ea male

quaedam et injuste et inepte concludit. Contra vero suam operam in eo collocat, ut miserrimis deterrimisque argumentis afferendis aliquid probet, quod, quum prorsus falsum sit, probari nequit. Nam profecto, si Lycurgus contendit, eum, qui privatus ex urbe fugerit, majorem proditionem commisisse, quam eum, qui urbis portam hostibus tradiderit, nemini, opinor, persuadebit. Tota igitur argumentandi ratio ea est, ut taedium nobis moveat, qua de causa nunc sequentem anteoccupationem videamus.

In hac (§ 63—68) reum dicturum facit, per se unum nihil illorum malorum eventurum fuisse. At Lycurgus contrarium contendit § 66 *ἡγοῦμαι δ᾽ ἔγωγε, ὦ ἄνδρες, τοὐναντίον τούτοις παρὰ τοῦτον εἶναι τῇ πόλει τὴν σωτηρίαν.* Quod hac ratione probare conatur: Urbs servatur, si ab uno quoque cive pro virili parte servatur. Quam partem si quis negligit et in una quadam parte urbem deserit, omnes urbis partes totamque civitatem prodit. Nam si ejus exemplum ceteri cives imitarentur, omnes urbis partes proderentur. Quare ille, etiamsi suam tantum patriae conservandae partem negligit, tamen malo, quod edidit, exemplo, omnem patriam prodi quamvis inscius auctor existit.

Haec ratiocinatio spinosior atque argutior est, quam ut vera esse possit. Nam tametsi eum turpiter agere concedimus, qui suam partem tutandae patriae non praestet, tamen ejus culpam non tantam tamque gravem, quam ejus, qui unus universam patriam prodat summisque malis afficiat, perspicuum est. Etiam quod dicit (§ 64), veteres legislatores levissimis delictis ean-

dem poenam constituisse, quam gravissimis, ideoque Athenienses in Leocrate damnando idem facere debere, id num justum fuisset, probare omisit. Quod tamen mihi quidem valde dubium videtur esse. Nos vero sine ira et studio rem considerantes sensuque incorrupto dijudicantes reo potius assentiemur atque sceleris, quod agitur, vim nimis exaggerari a Lycurgo contendemus. Quare etiam haec refutatio male cessit.

Proxima anteoccupatione (§ 68—71) Lycurgus adversarios refellit dicturos, Leocratis factum non proditionem esse, quoniam etiam majores Medicis bellis, Athenis relictis, Salamina se contulerint. Est autem haec sententia tam perversa tamque apta ad offendendos Atheniensium animos, qui illa majorum secessione quam maxime gloriabantur, ut nec Leocratem nec ejus patronos tale quicquam pronuntiaturos fuisse putari possit. Quare Lycurgus eo consilio illud commemorasse videtur, ut etiam majorem invidiam reo conflaret, qui ignavam suam turpemque fugam cum claro illo illustrique Atheniensium facto componere auderet. Itaque recte confirmat, Athenienses illo tempore non fugisse sed solummodo locum commutasse.

Extrema denique anteoccupatio (§ 90—94) Leocratem dicentem, se non in judicium venturum fuisse, si tanti sceleris sibi conscius fuisset, redarguit. Ad haec item recte Lycurgus, sacrilegos quoque et peculatores eadem uti solere defensione, respondet. Quod in judicium venerit, non innocentiae sed imprudentiae notam esse. Haec refutatio sola omnis recta et vera est. Nam inde, quod aliquis, quamvis maleficus sit, nihilominus

in judicium venit, nequaquam eum innocentem esse colligi potest. At non ideo impudentiae documentum est, sed plerumque, quum id fit, reo, absolvi se quam damnari, probabilius videtur.

Habes nunc omnia, quaecunque in nostra oratione argumenta inveniuntur. Quae universa si consideramus, fieri non potest, quin pleraque mala, infirma, captiosa esse dicamus. Tot tantorumque scelerum quum Lycurgus reum accuset, paucorum tamen argumenta affert; solam proditionem pluribus et copiosius confirmare conatur et, si forte, Leocratem turpiter sane magna inter rei publicae pericula fugisse, ipsum mali facinoris conscium sibi fuisse nobis persuadebit. Istam vero fugam proditionem recte nominari posse, in quo causa est, probare nequit. Maxime autem id probari oportuit, quum si quis militiae subeundae se subtrahebat, id *δειλία, ἀστρατεία, λειποτάξιον* sed non *προδοσία* esset. Etenim nec per se patuit nec sine gravissimis argumentis probari potuit, talem fugam proditionem esse, id quod inde colligitur, quod post proelium ad Chaeroneam commissum populus singulari psephismate, de quo supra disputavimus, decrevit, ut talis fuga proditionis nomine puniatur. Quid decreto peculiari opus, si per se patet? At mihi Lycurgus ipse hanc suae argumentationis infirmitatem fragilitatemque sensisse videtur, quia adversarios eam sibi exprobraturos esse expectat, et anteoccupatione eos antea redarguere conatur. Sed misera illa et captiosa refutationum ratio optime ostendit, quam vana proditionis insimulatio sit. Ac profecto, isto psephismate antiquato, nulla

causa legitima fuit, cur simplex fuga ut proditio puniretur.

Mirum autem est, quod plurimum temporis summamque vim Lycurgus in proditione demonstranda collocat, cetera autem scelera aut plane non comprobat, aut strictim tantum et subsecivis curis, ut paene haud serio ea reo exprobrare, contra proditionis crimen maxime ei cordi fuisse videatur. Hoc mihi inde factum videtur, quod Lycurgus tanta ira incensus fuit, ut Leocratem, nisi capitis damnaretur, non satis puniri arbitraretur. Ceteris vero sceleribus minores poenae constitutae erant. Nam *ἀστρατείας* et *λειποταξίου* poena erat capitis deminutio (*ἀτιμία* cfr. Platner II, 96; Meier et Schoemann p. 365) *ἀσέβεια* plerumque pecunia multabatur (cfr. Platner II, 145; Meier et Schoem. p. 307), *γονέων κάκωσις* item capitis deminutione puniebatur. Quocirca ut Leocrates capitis damnaretur, aut *προδοσίας* aut *δήμου καταλύσεως* maxime eum accusari oportuit. Proditionem vero quum facilius probari posse Lycurgus arbitraretur, in ea confirmanda summam operam collocavit, ita ut usque ad § 147 hanc solam in *εἰςαγγελίᾳ* perscriptam fuisse crederes. Ibi demum Leocratem etiam aliorum scelerum re vera coargui et accusari docemur.

De proditionis apud Athenienses vi atque notione Platnerus mihi falsa quaedam protulisse videtur. Dicit II. p. 83: „Aus diesem moralischen Verhältnifs des Einzelnen zum Staate ist es erklärlich, wie derjenige als Landesverräther angesehn wurde, welcher z. B. zur Zeit der Noth sein Vaterland verliefs“. Quod si vir claris-

simus contendit, non nisi ad eas damnationes, quae proxime post cladem Chaeronensem factae sunt, respicere potest. Nam nulla alia exempla fugitivorum morte punitorum extant. At istae damnationes non ex juris Attici more atque consuetudine factae sunt, sed ex singulari psephismate, in tantis animorum perturbationibus decreto, ut de facinorum gravitate recte judicare difficile esset. Huc adde, quod id psephisma mox antiquatum est. Non autem in universum atque generatim fugientes proditores habitos esse dici potest, si qui futivi, quum res ita se habuerint, proditionis damnati sunt. Id ipsum, quod peculiari psephismate ad eos damnandos opus fuit, praeclare, ut jam supra exposui, ostendit, hunc non vulgarem usitatumque judiciorum Atticorum morem fuisse. Omnino hoc est Platneri in proditione explicanda vitium, quod ea, quae oratores Attici in accusationibus proditionem appellant, re vera proditionis notioni subjicit. Oratores vero acerbius quam verius saepe in accusando leviora delicta gravioribus nominibus appellant, quo reus certius condemnetur. Recte quidem Meyer et Schoemann pag. 341: „Dazu kommt noch die Schwierigkeit, dafs die attischen Schriftsteller oft den Namen Verrath gebrauchen, wo schon die darauf gesetzte Strafe beweist, dafs hier nicht eigentlicher Staatsverrath sei und . . . . so müssen wir Ungenauigkeit der Schriftsteller annehmen“ (cfr. etiam p. 343; Meier de bon. damn. 12).

Non igitur ea argumentorum vis in Lycurgi oratione fuit, qua judices, ut Leocratem condemnarent, impelli possent. Neque mihi Lycurgus ipse tam argu-

mentandi acumine quam permotionibus excitandis judices ad suam voluntatem perducturus fuisse videtur. Maxime enim studuit, ut eorum amorem in patriam moveret et quasi furore quodam divino eos inflammaret. Hinc urbis miseriae tam copiose tamque belle descriptae (§ 37 sq.), hinc eorum, qui ad Chaeroneam occubuerant, laudes (§ 46 sq.), hinc poetarum loci animis commovendis aptissimi recitati, hinc denique ad res et ab Atheniensibus et a Spartanis praeclare gestas digressiones tot tantaeque (§ 102 sq.), quibus rebus omnibus quam facile Atheniensium animi permoveri potuerint, nemo est, quin sciat. Magis enim judicum sensus permulcere sibique conciliare, quam mentibus persuadere voluit.

Accusationis eventum Aeschines nobis servavit III, 252 *ἕτερος δ' ἰδιώτης ἐκπλεύσας εἰς Ῥόδον, ὅτι τὸν φόβον ἀνάνδρως ἤνεγκε, πρῴην ποτὲ εἰςηγγέλθη καὶ ἴσαι αἱ ψῆφοι αὐτῷ ἐγένοντο· εἰ δὲ μία μόνον μετέπεσεν, ὑπερώριστ' ἂν ἢ ἀπέθανεν.* Minervae igitur, qui dicitur, calculo Leocrates absolutus est. Nobis quidem hoc judicium neque mirum neque injustum videri potest. Quanam re judices ut reum damnarent, commoveri aequum erat? Argumentorumne vi et gravitate, quae infirma ac fere nulla erant? Nam *ἀστρατείας* quidem culpam in reum cadere dixerim, non autem proditionis, quoniam non probatur, nec probari potest, fugam ejus esse proditionem. Ceterorum vero criminum partim nulla partim imbecilla argumenta afferuntur. An pretarum loci aut digressionibus istis ad res mythicas et historicas factis eos ut reum interficerent impelli justum

erat? At quod his rebus in judicando permoti non sunt, vel laudi iis tribuendum est. Legitime igitur ac juste Athenienses, quod Leocratem absolverunt, fecerunt.

Causae vero praeterea multae fuerunt, quibus adducti Athenienses reum damnare noluerunt. Non enim honesta illa animi quasi inflammatio, qua Lycurgus ardebat, inter Athenienses vigebat, qua re hi melius verum perspicere et jejunius quidem sed rectius judicare poterant. Quapropter nimia ista sceleris amplificatio eos effugere vix potuit, beneque senserunt, oratorem nimis rem exaggerare, quod penes unum Leocratem totam urbis salutem esse dicit, aut, quod profugum eundemque privatum scelestius agere, quam eum, qui urbis portas, quibus praepositus sit, hostibus tradat. Huc accedit, quod nimis multa crimina in reum congerit. Eum *προδοσίας, δήμου καταλύσεως, ἀσεβείας, γονέων κακώσεως, λειποταξίου, ἀστρατείας* accusat, praeterea in oratione eum etiam in legem quandam, qua vetitur § 27 *ἐάν τις ἄλλοσέ ποι σιτηγήσῃ ἢ ὡς ὑμᾶς,* fecisse coarguit, quod crimen inde in *εἰςαγγελίᾳ* non perscripsisse mihi Lycurgus videtur, quia testes ad id probandum praesto ei non erant. Quae vehementia et abundantia contrarium, ut rectissime Maetznerus (ed. Lyc. p. 66), effecit, et non modo non ad reum damnandum judices impulit, verum etiam, ut absolverent, permovit. Huc accedit, quod etiam reus ejusque patroni sine dubio vitia imbecillitatesque, quas nos ostendimus, denudaverunt et detexerunt, quibus innisi gravissima ad Lycurgi accusationem refellendam argumenta desumpserunt, quod porro amici ejus potentes divitesque eum

absolverent precati sunt (cfr. § 139 sq.), quod denique artificia, de quibus quum omnes oratores tum Lycurgus (§ 20) queritur, ad judices a Lycurgo abalienandos adhibita sunt. Quae omnia nobis considerantibus etiam mirum videtur, quod non multo pluribus suffragiis absolutus est. Hinc colligi potest, quanta Lycurgi apud Athenienses auctoritas fuerit, quam tantam fuisse Plutarchus (vitt. dec. orat. 252) tradit, ut quamcunque partem suscepisset, ea justa esse videretur.

Hoc loco aliquod, quod Nuesslinus (Lycurgs Rede übers. u. erläut. p. XIV) perperam judicavit, emendare liceat. Dicit enim. „Für die Gerechtigkeit seiner jedesmaligen Anklagen zeugt schon der Umstand, daſs er nie in die Strafe des Anklägers, welcher nicht die gesetzliche Zahl der Stimmen erhielt, verfallen ist.“ Id autem nequaquam ex ea re colligi potest. Id tantum ea re intelligitur, causas, quas peroravit, nunquam tam malas tamque injustas fuisse, ut ne quinta quidem judicum pars ei assentiret. Nihil aliud, opinor, recte inde colligi potest.

Neque vero Lycurgum, quod Leocratem in capitis periculum adduxerit, injustum malumque appellabimus. Nam quum tam altum integritatis et severae antiquitatis quasi quendam gradum ascendisset, ex eo despicienti omnia turpia, inhonesta etiam immaniora atque scelestiora esse videbantur. In eo idem animus, qui in Atheniensibus Medicorum bellorum tempore vigebat, adhuc inerat, quo factum est, ut ei simplex fuga proditio esse videretur. Eadem animi condicio causa erat, cur non solum rei facinus aequo plus exaggeraret, sed

etiam, quod haudquaquam probari potest, unam rem falsa ac mendaciter aliter narraret, atque ipse eam accidisse sciret. Etenim quod Leocrates Rhodum reliquit, id quamvis (§ 21) ipse voluntario factum esse diceret, tamen infra (§ 133) ob nequitiam eum pulsum esse narrat. Dicit ibi: *τοιγαροῦν οὐδεμία πόλις αὐτὸν εἴασε παρ᾽ αὑτῇ μετοικεῖν ἀλλὰ μᾶλλον τῶν ἀνδροφόνων ἤλαυνεν, εἰκότως.* § 134 *καίτοι τὸν ὑπὸ τῶν μηδὲν ἀδικουμένων μισούμενον καὶ ἐλαυνόμενον τί δεῖ παθεῖν ὑφ᾽ ὑμῶν τῶν τὰ δεινότατα πεπονθότων.* Ad tam improbam criminandi rationem animi perturbationibus adductus est. Nos quidem, licet ejus integritatem magni faciamus, iram atque odium in malos aestimemus ac diligamus, tamen quid vitiosi et pravi in oratione insit, incorrupto animo omnique perturbatione vacui cognoscere, cognitum aperire et, si quidem fieri potest, investigare debemus, unde factum sit, ut Lycurgus talem in accusando se praebuerit.

Quodsi proxime post pugnam Chaeronensem Lycurgus Leocratem accusavisset, dubitari nequit, quin reus capitis damnatus esset. Nam tum temporis ea mens, quae in Lycurgo semper vigebat, in omnibus Atheniensibus inerat. Tum etiam Lycurgus, ut Autolycus capitis damnaretur effecit, quem *δειλίας* accusavit, quod uxorem liberosque in tuto collocavisset. Atqui cum Pintzgero (ed. Lyc. p. 8) actionem *δειλίας* aptam non fuisse et Autolycum injuste damnatum esse fatebimur. Quod autem populus post octo annos ira odioque vacuus rectius veriiusque judicavit, nec mirari nec dolere possumus, sed justum ac legitimum fuisse dicere debemus.

At de hoc judicio plerique interpretes falsam sententiam mihi habere videntur. Leocratem enim capitis damnandum fuisse et injuria eum absolutum esse putant. Ita Pintzgerus dicit p. 43: Leocrates wurde also freigesprochen, ein Urtheil, welches, wenn wir gleich von der Gerechtigkeit der Anklage überzeugt sind, doch nicht unerwartet scheinen kann“. Acerbius etiam Jenikkius (Einleitung ad ed. Lyc. p. XV): „Wer die Rede liest und nur einigen Sinn für Recht und Gerechtigkeit hat, erwartet, dafs Leocrates bei Athenern, welche wenige Jahre vorher alle entflohenen Bürger, deren sie habhaft werden konnten, mit dem Tode bestraft hatten, der Anklage unterliegen mufs. Doch nein, der Verräther am Vaterlande entging der Strafe“. Neque quod vv. dd. sic judicaverunt, miror. Mihimet enim ipsi idem accidit, ut diu eandem sententiam amplecterer, donec accuratius re identidem considerata et subtilius argumentis ponderatis ab opinione, in qua antea versarer, discederem. Namque orationis contentio atque nervi, gravitas atque dignitas etiam nos ad eos animi motus concitant, quae in oratore sunt. Deinde honesta illa ira in malos, amor in patriam, pietas in Deos, religio in mortuos, quae in Lycurgo inesse et ex rerum historia scimus et ex oratione ipsa sentimus, ei nos quam maxime conciliant, contra ab adversario abalienant. At mihi hac disputatione clariorem lucem accusationi offudisse videor.

Jam reliquum est, ut videamus, num prudenter Lycurgus fecerit, quod Leocratem accusavit. Tota autem ejus vita talis erat, ut ei libenter fidem habeamus, si

affirmat § 5: *ταύτην τὴν εἰςαγγελίαν ἐποιησάμην οὔτε δι᾽ ἔχθραν οὐδεμίαν οὔτε διὰ φιλονεικίαν οὐδ᾽ ἥντιν οὖν τοῦτον τὸν ἀγῶνα προελόμενος.* In omnibus igitur accusationibus tot tantisque, quas factitavit, non sua sed altiora et majora quaedam spectabat. Veteres enim mores majorumque virtutem, quam evanescentem sentiebat, restitui servarique arbitrabatur, si in malos improbosque cives quam acerrime inveheretur, quod ipse dicit § 10: *εὖ δ᾽ ἴστε, ὦ ἄνδρες, ὅτι οὐ μόνον τοῦτον νῦν κολάσετε κατεψηφισμένοι, ἀλλὰ καὶ τοὺς νεωτέρους ἅπαντας ἐπ᾽ ἀρετὴν προτρέψετε.* Suum igitur esse putabat, omnes eos accusare et quam gravissime puniendos curare, qui prave facerent. Eum vero, qua fuit severitate, saepe modum excessisse, injustorumque judiciorum auctorem extitisse jam conjectura augurari possemus, etiam si ignoraremus, Autolycum, quem supra dixi et Lysiclem, infelicem illum Atheniensium ducem, per eum capitis damnatos esse. In eo autem Lycurgus erravit, quod poenis depravatos corruptosque civium mores sanari posse putavit. Nam si civitates senescentes eo perveniunt, ut veteres mores, consuetudines, opiniones obsolescere et cedere incipiant, nulla re prohiberi potest, quominus haec pestis latius manet, sed ad interitum cursu vel intento vel remissiore contendunt. In ejusmodi rerum condicione in omnibus fere civitatibus magni viri ac divino quodam spiritu afflati exoriuntur, qui monendo, docendo, puniendo, exemplo, virtute patriae labem retinere atque inhibere frustra conantur. Tales viri inter Athenienses Demosthenes atque Lycurgus fuerunt. Quos viros quamvis imprudentes ap-

pellare non possimus, quod operarum contentionumque suarum inanitatem non intellexerunt, tamen quod ad hanc Lycurgi accusationem attinet, melius futurum fuisse fatebimur, si Lycurgus eam non instituisset. Nam talis accusatio, quae, quum reos singulos petat, simul omnium civium turpitudinem notat et in judicium vocat, dubiam in se habet salutem, magnum ac fere certum periculum. Nam si reus condemnatus interficitur, unus homo extirpatur, turpitudo remanet, quamvis timefacta fortasse paullulum, si vero absolvitur, rei mens malique mores probari videntur atque nequitia morumque pravitas eo liberius atque insolentius se ostendunt. Accusatio igitur rei publicae magis nocuit, quam rei damnatio prodesse potuisset. Quae si Lycurgus secum reputasset, Leocratem, credo, non, aut certe non capitis accusasset. Nam si minorem poenam ei irrogasset, eum condemnari verisimilius fuit.


V I T A.

Natus sum Samuelis Elias a. d. XV. Cal. Jul. a. h. s. XLVI Jaroczini, Posnaniae oppidulo, unde me duorum annorum puerulum parentes Berolinum advexerunt. Fidei adscriptus sum Mosaicae, primisque litterarum elementis in ea schola, quae Berolini pueris hanc fidem profitentibus destinata est, imbutus sum. Hac schola relicta Gymnasium Friderico Werderanum adii ibique a. h. s. LXV maturitatis testimonium nanctus sum. Tum per octo semestria spatia, universitatis Berolinensis civis factus quantum temporis oculorum morbus gravissimus mihi concessit, in litteras graecas maxime latinasque percipiendas contuli auditorque fui virorum summorum Boeckh, Haupt, Kirchhoff, Muellenhoff, Trendelenburg, Massmann, v. Raumer, Mullach, Geppert, Bona Meier, Steinthal, quibus viris optime de me meritis quid debeam per totam vitam grata tenebo memoria.

THESES.

---

1. Probari nequit Jenickius, qui in edit. Lycurgi § 40 scribit *τῆς ἡλικίας πρεσβυτέρους* pro vulgari lectione *ταῖς ἡλικίαις πρεσβυτέρους.*
2. Andoc. I, 9 ed. Schiller pro *καὶ λόγους παρεσκευάσθαι* leg. *καὶ ὅρκους παρεσκευάσθαι.*
3. Ibid. I, 60 pro *οὔτε οἱ φεύγοντες μᾶλλον ἔφευγον* leg. *φυγόντες.*
4. Ibid. II, 11 pro *γενέσθαι τε καὶ ἐξάγεσθαι* leg. *τέμνεσθαί τε καὶ ἐξάγεσθαι.*
5. Ibid. IV, 6 pro *ἃ καὶ τοῖς πολλοῖς καὶ τοῖς ὀλίγοις ἁρμόττοντα μάλιστα τυγχάνει* leg. *οὐ τοῖς ὀλίγοις.*
6. Din. I, 40 *παραγγέλλειν* significat „male, prave, falso *ἀγέλλειν*“ cfr. *παραπρισβεύειν, παροραν, παρακούειν. παρανοεῖν, περαγιγνώσκειν. παράγειν,* similia.
7. Lyc. in Leocr. § 78. Particula *ἂν* ejicienda est e verbis *ποῦ δ᾽ ὑπὲρ ὁσίων καὶ ἱερῶν ἤμυνεν ἂν ὁ μηδένα κίνδυνον ὑπομείνας.* cfr. p. 40.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 041 256 4